


datis, dabitur angulus AFC , & ipse est latitudinis apparentis, quæ querebatur. Exemplificabimus hoc rursus de Marte, cuius maximus limes Austrinæ latitudinis sit circa A , quæ ferè in infima eius abside contingit. Sit autem locus planetæ in C , ubi dum esset terra in E signo, demonstratum est ADC angulum inclinationis maximum fuisse, nempe partis unius, scrup. L . Ponamus iam terram in F signo, & motum commutationis secundum EF circumferentiam, part. XLV . Datur ergo FG recta 7071 , quarum est ED , 10000 . & GE , reliqua eius quæ ex centro part. 2929 . Ostensum est autem dimidium librationis ADC anguli esse scrupul. L . s. rationem habens augmenti & diminutionis hoc loco, ut DE ad GE , ita L ad XV . proxime, quæ cum reiecerimus à parte una, scrup. L . remanebit pars una, scrup. XXXV . angulus inclinationis ADC , in præsentî. Erit propterea triangulum ADC datorum angulorum atq; laterum, & quoniam supra ostensum est, CD partium esse 9040 , quarum est ED , 6580 , erit earundem FG , 4653 , AD part. 9036 . & reliqua AEG , part. 4383 . & AC part. $249\frac{1}{2}$. Trianguli igitur AFG rectanguli perpendicularem AE partium 4383 , & basim FG part. 4653 . sequitur subtensa AF partium 6392 . Sic demum trianguli ACF habentis CAF angulum rectum cum lateribus AC , AF datis, datur angulus AFC part. II . scrup. XV . latitudinis apparentis ad terram in F constitutam. Eodem modo in alijs duobus Saturno & Ioue exercebimus ratiocinationem.



De Veneris & Mercurij latitudinibus. Caput v.



Uper sunt Venus & Mercurius, quorum in latitudinem transitus, latitudinum simul demonstrabuntur tribus, ut diximus, euagationibus inuolutorum.

Aa iij Quæ